datur parentibus & liberis intra [1] annum; ex quo petere potuerunt: cæteris intra centum [2] dies. §. 11. Qui omnes intra id tempus si [3] non petierint, ad bonorum possessionem sequens gradus admittitur: perinde ac si superiores non essent. idque per septem gradus fit.

§. 12. Hi quibus ex successorio edicto bonorum possessio datur, heredes quidem non sunt, sed heredis loco constituuntur beneficio Prætoris. Ideoque seu ipsi agant, seu cum his agatur, fictitiis actionibus opus est: in quibus heredes esse finguntur. §. 13. Bonorum possessio aut cum re datur, aut sine re. Cum re [4], si is qui accepit, cum effectu bona retineat: sine re, quum alius jure civili evincere hereditatem possit: velut si suus heres intestato sit [5]. Bonorum possessio sine re est, quum suus heres evincere hereditatem jure legitimo possit.

TIT. XXIX.
DE BONIS [6] LIBERTORUM.

§. 1. Clvis [7] Romani liberti hereditatem lex duodecim Tabularum patrono defert, si intestato sine suo herede libertus decesserit. Ideoque sive testamento facto decedat, licet suus heres ei non sit, seu intestato, & suus heres ei sit, quamvis non naturalis, sed uxor puta quæ in manu fuit, vel adoptivus filius: lex patrono nihil præstat. Sed ex edicto Prætoris si testamento facto libertus moriatur, aut [8] ut nihil, aut minus quam partem dimidiam bonorum patrono relinquat: contra tabulas testamenti, partis dimidiæ bonorum possessio illi datur, nisi libertus aliquem ex naturalibus liberis successorem sibi relinquat, sive intestato decedat, & uxorem forte in manum, vel adoptivum filium relinquat, æque partis mediæ bonorum possessio contra suos heredes patrono datur. §. 2. In bonis libertæ patrono nihil juris ex edicto datur. Itaque si intestata moriatur liberta, semper ad eum hereditas pertinet. §. 3. Licet [9] liberi sint libertæ, quoniam non sunt sui heredes matri, obstat [10] patrono lex Papia Poppea. Posteæ libertas quatuor liberorum jure tutela patronorum liberavit, & cum intulerit, jam posse eas sine auctoritate patronorum testari, prospexit ut pro numero liberorum libertæ superstitum virilis pars patrono debeatur. §. 4. Liberi patroni virilis sexus, eadem jura in bonis libertorum parentum suorum habent, quæ & ipse patronus. Fœminæ vero, ex lege quidem XII. Tabularum perinde jus habent, atque masculi patronorum liberi. §. 5. Contra tabulas autem testamenti liberti, aut ab intestato contra suos heredes non naturalis [11] bonorum possessio eis non competit. Sed si jus trium liberorum habuerunt, etiam hæc jura ex lege Papia Poppea nancisuntur. §. 6. Patronæ ex bonis libertorum illud jus tantum habent, quod lex XII. Tabularum introduxit. Sed postea lex Papia patronæ ingenuæ duobus liberis honoratæ [12], libertinæ tribus, id juris dedit quod patronus habet ex edicto. §. 7. Item liberis ingenuæ trium liberorum jure honoratæ eadem lex id jus dedit, quod ipsi patrono [13] tribuit.

1 §. 4. *Inst. de bonor. possess. l.* 1. §. 12. *ff. de successor. edicto. l.* 2. *C. qui admitti ad bonor.* 2 *l.* 3. *ff. unde cognati; l.* 1. §. 9. *ff. de successor. edicto.* 3 §. 5. *Inst. de bonor. possession.* 4 *Alias dixi de ea re.* 5 Sit, bonorum &c.
6 V. *L.* 3. *Inst.* 8. 7 In Latino fœcus. §. 4. *Inst. de successor. libertor.* 8 Et aut nihil &c. 9 Nam licet. 10 Nec obstat. 11 Naturales. 12 Honoratæ §. 3. *Inst. de Senatusconsulto Tertyll.* Theophilus dicit κεκτασθαι. 13 Patronæ.

JULII PAULI
RECEPTARUM SENTENTIARUM
AD FILIUM,
LIBRI V.

LIBER PRIMUS.

TIT. I.
DE PACTIS ET CONVENTIONIBUS [1].

§. 1. De his rebus pacisci possumus, de quibus transigere [2] licet: Ex his enim pacti obligatio [3] solummodo nascitur. §. 2. Omne pactum posteriore pacto dissolvitur [4], licet pariat exceptionem. §. 3. Pacto convento Aquiliana stipulatio subjici solet [5], sed consultius est huic pœnam quoque subjungere: quia rescisso quoquo modo pacto, pœna ex stipulatu repeti potest. §. 4. Neque contra leges, neque contra bonos mores pacisci [6] possumus.

§. 5. De rebus litigiosis & convenire & transigere possumus. Post rem judicatam pactum nisi donationis causa interponatur [7], servari non oportet.

TIT. II.
DE COGNITORIBUS [8].

§. 1. Omnes infames, qui postulare prohibentur, cognitores fieri non possunt, etiam volentibus [9] adversariis. §. 2. Fœminæ in rem suam cognitoriam operam suscipere non prohibentur [10]. §. 3. In rem suam cognitor, procuratore ille fieri potest, qui pro omnibus postulat. §. 4. Actio judicati non solum in dominum, aut domino, sed etiam heredi, & in heredem datur [11].

TIT. III.
DE PROCURATORIBUS.

§. 1. Mandari potest procuratio præsentibus, & nudis verbis [12] & per literas, & per nuntium, & apud acta præfidis & magistratus. §. 2. Procurator aut ad litem, aut ad omne negotium, aut ad partem negotii, aut ad res administrandas datur [13].

TIT. IV.
DE NEGOTIIS GESTIS.

1 In quibusdam veteribus legitur, *De pactis & conventis*, vid. Cujac. *Observ. l.* 2. *c.* 15. Dicimus etiam pacta & condita, pactum & conditionem, item pactum & consensum, *l.* 2. *C. quand. lic. ab empt. disc.* 2 Est sensus, ut qua de re liceat transigere, liceat & pacisci. contra. *l.* 18. *C. de transact. l.* 10. *C. ad l. Jul. de adult.* scil. de re litigiosa: sum rei non litigiosæ pacti quidem verbum convenit, transactionis non item. 3 Naturalis videlicet, quæ exceptionem parit. 4 Non ipso jure, sed per replicationem. 5 Hic enim actio tollitur. *l.* 3. *l.* 4. *l.* 15. *C. de transact. l.* 16. *ff. cod. l.* 18. *ff. eod.* 6 *l.* 6. *C. de pact. l.* 7. §. *ult. pr. ff. de pactis. l.* 52. §. 2. *ff. de furt. l.* 95. §. 4. *ff. de solut.* 7 Decidendi causa non possumus, nisi fi his adhuc subesse potest. *l.* 23. *ff. de condict. indeb. l.* 32. *C. de transact.*
8 Procurator agit absente, Cognitor præsente litigatore. *l. si lite. C. Th. de cogn. & procur.* maxime in causa fiatus, pro defensore ejus, qui patitur controversiam, an fit ex civibus. Afconius *in* 3. *Ver.* Justinian tempore fublati sent cognitores: ideoque ab his locis, quos ex juris auctoribus sumpsit postium cognitoris nomen semper exemit, ut conjicere licet ex *l.* 38. §. 8. *ff. de pact.* collata cum sententia Pauli *lib.* 5. *tit.* 25.
9 *l.* 7. *ff. de postul. l.* 8. §. 2. *ff. de procur.* 10 Pro certis personis nec postulare, nec cognitores fieri possunt, ac ne pro parentibus quidem sine decreto. *l.* 41. *ff. de procur.* 11 In procuratore, & defensore idem juris est. *l.* 28. *in fin. ff. de procurat.* quasi defensor, non versus defensor est. *l.* 40. §. *fed & fi. l.* 61. *ff. eod.* proinde in eo huic sententiæ locus non est.
12 Non solennibus. §. 1. *Inst. de his per quas ag. possi.* 13 *l.* 1. *l.* 6. 1. *ff. de procur.* 14 *l.* 20. *C. de neg. gest. l.* 24. *C. de usur.* Interdum dolum duntaxat. *l.* 3. §. *interdum. ff. de neg. gest.* Interdum etiam culpam *l.* 11. *ff. eod.* 15 Quod ita procedit, si posterior actus tutelæ officio connexus non fit: alioquin tutelæ actio sufficit. Item si post pubertatem nullo tempore administrationem interfmiserit: aliique in utraque actio necessaria est. *l.* 13. *ff.* 14. *ff. de tutel. & rat. distr.* 16 *l.* 24. *C. de usur.* ait, *totius temporis*, quod a Tribuniano præterm ssum est in *l.* 37. §. 1. *ff. de neg. gest.* 17 *l.* 24. *C. de usur. l.* 32. §. *ult. ff. de negot. gest.* 18 *l.* 14. *ff. de neg. gest.* 19 Id est, pure & præsite, quod a Tribuniano præterm ssum est in *l.* 37. §. *ultim. ff. de negot. gest. ff. de minor. l.* 32. §. 4. *ff. de administ. tut.* 20 Actio pro tutela, diverfa est ab actione negot. gesti. rum. *l.* 1. §. *si quis quasi. ff. de eo qui pro tut. l. penult. ff. de tut. & rat. distr.* eam tamen imitatur. *l.* 4. *C. qui dar. tut. vel cur. poss.*
21 *l.* 3. *ff. ad SC. Turp.* Ubi fic legitur, *& in privatis & in extraordinariis criminibus*; & ita prorsus exiftimo Paulum scripsisse. Nam in publicis judiciis calumnia jure ordinario vindicatur. *l.* 5. §. 1. *ff. ad SC. Turp. l.* 13. *ff. de teftibus.* Hodie tamen omnia crimina extra ordinem puniuntur. *l.* 8. *ff. de publ. jud. l.* 7. §. *ult. ff. ad leg. Jul. repet. l. ultim. ff. ad l. Pab.*
22 *De reis defitutis*, legendum putaverim, id est, ab accusatore desertis. Sic defituta res in *l.* 4. *C. ad SC. Turp.* 23 *l.* 7. §. *ultimum. ff. de accusat. l.* 1. *C. Theod. de calumniatorib.*
24 § 7. §. *ultimum. ff. de accusat. l.* 3. *ff. de prævar. l.* 4. §. *ult. ff. ad leg. Jul. de adult.*

TIT. VII.
DE INTEGRI RESTITUTIONE.

§. 1. Integri restitutio est redintegrandæ rei, vel causæ actio [1].
§. 2. Integri restitutionem prætor tribuit ex his causis, quæ per metum, dolum, & status permutationem [2], & justum errorem [3], & absentiam necessariam, & infirmitatem ætatis gesta esse dicuntur. §. 3. Integri restitutio plus quam semel non est decernenda, ideoque causa cognita [4] decernitur. §. 4. Integri restitutio aut in rem competit, aut in personam [5]. In rem actio competit, ut res ipsa, qua de agitur, revocetur. In personam aut quadrupli pœna intra annum, vel simpli post annum peti potest. §. 5. Si aliquis ut se de vi latronum, vel hostium vel populi liberaret, aliquid mancipavit, vel promisit, ad metum non pertinet [6]: mercedem enim depulsi metus tribuit. §. 6. Servus per metum mancipatus, quidquid adquisierit [7], vel stipulatus sit, ei adquirit, qui vim passus est. §. 7. Vis est major rei impetus [8], qui repelli non potest. §. 8. Qui quem domo inclusit, ut sibi rem manciparet, aut promitteret, extorsisse mancipationem videtur [9]. §. 9. Qui quem ferro vinxit, ut sibi aliquid traderet, vel venderet, vim intulisse videtur. §. 10. Qui in carcerem quem detrusit [10], ut aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est.

TIT. VIII.
DE DOLO MALO.

§. 1. Dolus malus est, cum aliud agitur, aliud simulatur [11].
§. 2. Si qui dolum, aut metum adhibuit, ut res ad alium transiret, uterque de vi & dolo actione tenetur [12].

TIT. IX.
DE MINORIBUS XXV. ANNORUM.

§. 1. Minor XXV. annorum, si aliquod flagitium admiserit, quod ad publicam coercitionem spectet, ob hoc in integrum restitui non potest [13]. §. 2. Qui minori mandavit, ut negotia sua agat, ex ejus persona in integrum restitui non potest [14], nisi minor sua sponte negotiis ejus intervenerit. §. 3. Si major effectus res, quas minor egit, facto [15], vel silentio [16] comprobavit, adversus hoc quoque in integrum restitui frustra desiderat. §. 4. Si minor minori heres exsitat, heres ex sua persona [17], non ex defuncti, in integrum restitui potest. §. 5. Minor se in his, quæ fidejussit, vel fide promisit, vel spopondit, vel mandavit in integrum restituendo, reum principalem non liberat [18]. §. 6. Qui sciens [19] prudensque se pro minore obligavit, si id consulto consilio fecit, licet minori succurratur, ipsi tamen non succurretur. §. 7. Minor adversus emptorem in integrum restitutus, pretio restituto, fundum recipere potest. Fructus enim in compensationem usurarum penes emptorem remanere placuit [20]. §. 8. Minor adversus distractiones eorum pignorum, & fiduciarum, quas pater obligaverat, si non ita ut oportuit a creditore distractæ sint [21], restitui in integrum potest.

TIT. X.
DE PLUS PETENDO.

Causa cadimus aut loco, aut summa, aut tempore, aut qualitate. Loco, si alibi: summa, si plus [22], quam damus, petimus: tempore, petendo ante tempus: qualitate, ejusdem speciei rem meliorem postulantes.

TIT. XI.
DE SATISDANDO.

§. 1. Quotiens hereditas petitur, satisdatio jure desideratur: & si satisdatio non detur, in petitorem hereditas transfertur. Si petitor satisdare noluerit, penes possessorem possessio remanet [23]. In pari enim causa potior est possessor. §. 2. Usufructuarius de utendo usufructu satisdare debet, perinde se usurum, ac si ipse paterfamilias uteretur [24].

TIT. XII.
DE JUDICIIS OMNIBUS.

§. 1. Hi qui falsa rescriptione usi fuerint, lege Cornelia de falsis puniuntur [25]. §. 2. Ex his, qui ancillam corruperit alienam, aliam reformare cogendus est [26]. §. 3. Qui falsum nesciens allegavit, falli pœna non tenetur [27]. §. 4. In caput domini, patronive, nec servus, nec libertus interrogari potest [28]. §. 5. Prægnantes neque torqueri, neque damnari, nisi post editum partum possunt [29]. §. 6. Qui rescriptum a principe falsa allegatione elicuerint, uti eo prohibentur [30]. §. 7. Qui de se confessus est, in alium torqueri non potest, ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperavit [31].

TIT. XIII.
DE JUDICATO.

§. 1. Qui exhibiturum se aliquem judicio caverit, mortuo eo, pro quo caverat, periculo cautionis liberatur [32]. §. 2. Filiusfamilias justu patris manumittere potest [33], matris non potest [34]. §. 3. Is, qui album raserit, corruperit, sustulerit, mutaverit, quidve aliud propositum edicendi causa turbaverit, extra ordinem [35] punietur. §. 4. Si id, quod emptum est, neque traditum, neque mancipetur, venditor cogi potest, ut tradat, aut mancipet [36]. §. 5. Deteriorem servum facit, qui fugam fuaserit, qui furtum, & qui mores [37] corpusve corruperit. §. 6. Qui ancillam alienam virginem immaturam corruperit, pœna legis Aquiliæ [38] tenetur. §. 7. In petitione hereditatis ea veniunt, quæ defunctus mortis tempore reliquit, vel ea, quæ post mortem, ante aditam hereditatem [39] ex ea adquisita sunt. §. 8. Possessor hereditatis pretia earum rerum, quas dolo alienavit [40], cum uſuris præstare cogendus est. §. 9. Rerum ex hereditate alienatarum æstimatio in arbitrio petitoris [41] consistit. §. 10. Petitio hereditatis, cujus defunctus litem non erat contestatus, ad heredem non transmittitur [42].

TIT. XIV.
DE VIA PUBLICA.

Qui viam publicam exaraverit, ad munitionem ejus solus compellitur [43].

TIT. XV.
SI QUADRUPES DAMNUM INTULERIT.

§. 1. Si quadrupes pauperiem fecerit, damnumve dederit, quidve depasta [44] sit, in dominum actio datur, ut aut damni æstimationem subeat [45] aut quadrupedem dedat, quod etiam lege Pesulania [46] de cane cavetur. §. 2. Feram bestiam in ea parte, qua populi iter est, colligari prætor prohibet. Et ideo sive ab ipsa, sive propter eam ab alio alteri damnum datum fuerit, pro modo admissi extra ordinem [47] actio in dominum, vel custodem datur: maxime si ex eo homo perierit, vel fuerit læsus. §. 3. Si, qui irritatu suo feram bestiam, vel quamcumque aliam quadrupedem in se prorisaverit [48], eoque damnum dederit, neque in ejus dominum, neque in custodem actio datur.

TIT. XVI.
DE FINIUM REGUNDORUM.

In eum, qui per vim terminos dejecerit, vel amoverit, extra ordinem animadvertitur [49].

TIT. XVII.
DE SERVITUTIBUS.

§. 1. Viam, iter, actum, aquæductum, qui biennio usus non est, amisisse videtur. Nec enim ea uſucapi possunt, quæ non utendo amittuntur [50]. §. 2. Servitus hauriendæ, vel deducendæ aquæ biennio omissa intercidit [51], & biennio usurpata recipitur.

TIT. XVIII.
DE FAMILIÆ ERCISCUNDÆ.

Arbiter familiæ erciscundæ plus, quam semel dari non potest: & ideo de his, quæ divisa eo judicio non sunt, communi dividundo [52] arbiter postulatus partietur.

TIT. XIX.
QUEMADMODUM ACTIONES PER INFICIATIONEM DUPLENTUR.

§. 1. Quædam actiones, si a reo inficientur, duplantur [53], velut judicati depensi [54], legati per damnationem relicti, damni injuria legis Aquiliæ, item de modo agri, cum a venditore emptor deceptus est. §. 2. Ex his causis, quæ inficiatione duplantur, pacto decidi non potest [55].

1 *l.* 2. *C. in quib. caus. in integr. rest. necessar. non est.* 2 *l.* 2. *ff. de in integrum restit. videlicet*, si minima fuerit quantitis minutio. *l.* 2. *ff. eodem.* 3 Exemplum est in §. 33. *Inst. de actionibus.* 4 Præsente advertario. *l.* 33. *ff. de in integr. restit. l.* 6. *C. de in integ. restit. l. ult. C. si sap. in int. restit. post.* 5 *l.* 9. §. *volenti. §. licet tamen. l.* 21. §. *ult. ff. quod met. caus. gest. er. l.* 5. *C. eod. tit. l.* 13. §. *interdum. ff. de minor.* 6 *l.* 9. §. *fed licet. ff. quod met. caus. gest. er. l.* 3. *ff. de eo qui jur. caus. fact. erit.* 7 In hac actione partus veniunt, fœtus, fructus, omnis causa. *l.* 12. *ff. quod met. caus. gest. erit.* 8 Malim, *Majoris rei impetus*, ut in *l.* 2. *ff. quod met. caus. gest. er.* 9 *l.* 4. *ff. de vi publ. l. ultim. §. si fœnerator. ff. quod met. caus. gest. erit.* 10 *l.* 5. *ff. de vi publ. l. pen. ff. quod met. caus. gest. er.*
11 *l.* 1. *ff. de dol. mal.* 12 Dominus in quantum ad eum pervenit, procurator in solidum. *l.* 15. §. *pen. ff. de dol. l.* 14. §. *Pedius. ff. quod met. caus. gest. erit.*
13 *l.* 37. §. *in delictis. ff. de minor.* In aliis omni modo denegatur. *l.* 1. *C. si. adv. delict. l.* 9. §. 2. *ff. de minor.* 14 *l.* 4. *C. l.* 23. *ff. de minor. l.* 24. *ff. eod. tit.* cujus initium est ex lib. 1. *fententiarum*, reliqua sunt ex Pauli *lib.* 11. *ad edictum.* 15 *l.* 9. §. 1. *ff. de minor.* 16 Silentium exigimus quatuor annorum: vel si quid alienatum obligatumve sit sine decreto, quinque: vel si quid donatum sit, decem inter præsentes, & 20. inter absentes: Accurt. & §. 1. 17 *l.* 19. *ff. de minor. l.* 8. §. 1. *C. de temp. in integ. restit.* 18 *l.* 48. *ff. de minor.* 19 *l.* 13. *ff. de minor. l.* 7. §. *ult. ff. de except.* Aliud dicendum est, si ignorans eum minorem esse fidejusserit, *arg. l.* 48. *ff. de fidejuſ.* Item si dolo creditoris minor deceptus fuerit. *l.* 2. *C. de fideiuſſ. minor.* 20 Si fundum repetat cum fructibus, necesse est pretium ab eo reddi cum usuris, ex quibus locupletior est, omissa compensatione. *l.* 24. §. 4. *l.* 27. §. *præterea. §. item ex diverso. l.* 47. *in fin. ff. de minor. l.* 32. §. 4. *ff. de administ. tut.* 21 Neque advertarius *l.* 2. *C. si adv. vend. pign.* vid. *l.* 1. *C. si adv. vend. pign.*
22 §. 33. *verſ. plus. & verſ. finis autem. Inſt. de actionib.*
23 *l.* 6. §. *ult. ff. de Carb. edict. l.* 14. *eod. tit.* hæc est, quæ solita cautio dicitur in *l.* 5. *ff. de hered. petit.* de qua & in *l.* 15. §. *ult. ff. de quæſtionib.* 24 *l.* 1. *ff. uſufructu. quem. cav. l.* 4. *C. de uſufr. l.* 13. §. 1. *ff. de uſufr.* 25 *l.* 4. *C. ad l. Corn. de falſ.* 26 *l.* 6. *ff. ad leg. Jul. de adult.* Ex his, id est, præter eos, de quibus supra dictum est. Sed malim legere, *Is qui.* 27 *l.* 20. *C. ad leg. Cornel. de falſ.* 28 *l.* 12. *l.* 8. *C. de teſtibus.* 29 *l.* 18. *ff. de ſtat. hom. l.* 3. *ff. de pœn.* Quint. *in declam.* 277. Ælianus *lib.* 5. *var. hiſtor. lib. de fera num. vind.* Diodorus 2. *cap.* 3. 30 *l.* 5. *C. ſi contra jus vel utili. publ.* 31 *l.* 16. *ff. de quæſt.*
32 *l.* 4. *ff. qui ſatisd. cog.* fit hæc cautio apud officium vel apud acta *l.* 27. *ff. de in jus voc.* 33 *l.* 22. *ff. de manumiſſ.* 34 Hæc personarum differentia tollitur a Justiniano in *l.* 1. §. *ult. C. comm. de manumiſſ.* 35 Vel jure ordinario. *l.* 7. *ff. de jurisdict.* vel pœna falli. *l. pen. ff. ad leg. Corn. de falſ.* 36 Dico sunt modi transferendi dominii: traditio est juris gentium, mancipatio juris civilis.
37 *l.* 1. §. *ult. ff. de fer. cæ.* 38 *l.* 27. *ff. de injur.* Neque erit deneganda servi quoque corrupti actio. *l.* 6. *ff. ad leg. Jul. de adult.* si mauram, lege Aquilia non teneur: injuriarum tenetur, ut in *tit. prox.* 39 Quæ post aditam hereditatem, non veniunt. *l.* 19. §. 1. *l.* 16. §. 3. *l.* 36. §. 2. *ff. de petit. her.* accessiones veniunt, etiam si post aditam hereditatem accesserint. *l.* 20. §. 11. *ff. eod. tit.* 40 *l.* 20. §. 11. *ff. de petit. hered.* Scriptum sic erat, *præsentia earum rerum*, emendavi, *pretia earum rerum.* 41 Quanti in litem petitor juraverit. *l.* 20. §. *ult. ff. de petit. hered.* 42 Idemque in petitione hereditatis de inofficioso respondum est in *l.* 6. §. *ult. ff. de inoffic. teſtam.*
43 *l. ult. ff. de via publ. & itin. publ. reſtr.* 44 *l.* 13. §. *ult. ff. de præſcript. verb.* Nec enim sufficiebat de pauperie actio, quia pastus pecoris pauperies, aut damnum non est. 45 His actionibus continentur pecudes non bestiæ. *l.* 1. §. *in beſtiis. ff. ſi quadr. paup. fec. dic.* non canes. *l.* 2. *ff. ad leg. Aquil.* 46 In libro Lutetiæ edito legitur *Peſolana. Salmaſ.* Plutarchus scribit in Solone. 47 In qua nec edicti æstilitii, nec 12. tabular. ordo servatur.
48 Si alius læsus fit, Aquilia, vel in factum is qui irritavit, tenebitur. *l.* 11. §. 5. *ff. ad l. Aquil.* 49 *l.* 1. *C. de accuſat.*
50 Finius expositum in *l.* 4. *C.* & *l.* 44. *ff. de uſurp. & uſuc.* 51 Quod uti accipiendum sit, ostendimus in *l.* 4. *ff. de uſurp. & uſuc.* Pro biennio, hodie decennium habemus & vicennium.
52 *l.* 20. §. 2. *ff. fam. erciſc.* 53 *l.* 23. §. 10. *ff. ad leg. Aquil. l.* 20. §. *cum prædicimus. ff. de pet. hered.* §. *ultim. Inſt. de obligi. quæ quaſi ex cont.* §. *ex maleficiis.* 18. *Inſt. de act.* 54 Fortitan legendum est, *Judicati, depoſiti*: nam & actio depositi interdum inficiando crescit. §. *fed furti.* 26. *Inſt. de act.* 55 Nam aut fatetur reus, aut infitiatur: si fatetur, pro judicato habetur, & ideo transigere non potest: si infitiatur, ac publica decidere velit, pro inficiatore convicto habetur, & inficiationis pœnam sustinet.

TIT. XX.

DE FIDEJUSSORE, ET SPONSORE.

INter fidejussores ex edicto prætoris, si folvendo sint, licet singuli in solidum teneantur, obligatio dividitur [1].

TIT. XXI.

DE SEPULCHRIS ET LUGENDIS.

1 Quod in Pandectis sub *titul. de fidejuss.* multis in locis demonstratur. Traxit hoc quoque postea Justinianus ad reos constitutæ pecuniæ. *l. ult. C. de constit. pec.*

2 Vel ob aliam justam & necessariam causam, *l. 1. C. de relig. & sumpt. fun.* noctu efferri corpora Demetrio placuit, ad sumptus minuendos. M. Tull. 2. *de leg.*

§. 1. OB incursum fluminis, vel metum [2], corpus jam perpetuæ sepulturæ traditum, solemnibus redditis sacrificiis, per noctem in alium locum transferri potest. §. 2. Corpus in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis [3]: & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur. §. 3. Qui luget, abstinere debet a conviviis, ornamentis, & alba veste [4]. §. 4. Quidquid in funus erogatur, inter æs alienum primo loco [5] deducitur. §. 5. Qui alienum mortuum sepelierit, si in funus ejus aliquid impenderit, recipere id ab herede, vel a patre vel a domino [6] potest.

3 *l. 12. C. de relig. & sumpt. fun. l. 6. C. Theod. de sepulchr. viol.* 4 Sed uxoribus hic tristior habitus quandoque ex SC. remittitur, in *l. 15. C. ex quib. caus. infam. irrog.* 5 *l. pen. ff. de relig. & sumpt. fun.* 6 *l. 14. §. ult. l. 21. l. 32. ff. de rel. & sumpt. fun.*

JULII PAULI
RECEPTARUM SENTENTIARUM
LIBER SECUNDUS.

TIT. I.

DE REBUS CREDITIS ET JUREJURANDO.

§. 1. IN pecuniariis causis si alter ex litigatoribus jusjurandum deferat, audiendus est. Hoc enim & compendio litium, & æquitatis ratione provisum est. §. 2. Deferre jusjurandum prior actor potest: contrarium autem de calumnia [1] jusjurandum reo competit. §. 3. Si reus cum jurare velit, actor illi necessitatem jurisjurandi remisit [2], & hoc liquido appareat, actio in eum non datur. §. 4. Heredi ejus, cum quo contractum est, jusjurandum deferri non potest: quoniam contractum ignorare potest [3]. §. 5. Si qui debitum quocumque modo confessus docetur, ex ea re creditori actio non datur, sed ad solutionem [4] compellitur.

TIT. II.

DE PECUNIA CONSTITUTA.

SI id, quod mihi Lucius debet, soluturum te constituas, teneris actione pecuniæ constitutæ [5].

TIT. III.

DE CONTRACTIBUS.

STipulatio est verborum conceptio, ad quam quis congrue interrogatus respondit, velut, *spondes, spondeo, dabis, dabo, promittis, promitto, fidei tuæ erit, fidei meæ erit* [6]. Et tam pure, quam sub conditione [7] concipi potest.

TIT. IV.

DE COMMODATO, ET DEPOSITO PIGNORE FIDUCIAVE.

§. 1. QUidquid in rem commodatam ob morbum vel aliam rationem impensum est, a domino recipi potest [8]. §. 2. Si facto incendio ruina, naufragio, aut quo alio simili casu res commodata amissa sit, non tenebitur eo nomine is, cui commodata est: nisi forte cum posset rem commodatam salvam facere [9], suam prætulit. §. 3. Servus vel equus si a latronibus, vel in bello, in aliam causam commodati [10] occisi sunt, actio commodati datur: custodia enim & diligentia rei commodatæ præstanda est. §. 4. Si rem æstimatam tibi dedero, ut ea distracta pretium ad me deferres, eaque perierit, siquidem ego te rogavi, meo periculo perit: si tu de vendenda promisisti, tuo periculo [11] perit.

TIT. V.

DE PIGNORIBUS.

§. 1. CReditor si simpliciter sibi pignus depositum distrahere velit, ter ante denuntiare debitori suo debet, ut pignus luat [12], ne a se distrahatur. §. 2. Fœtus, vel partus ejus rei, quæ pignori data est, pignoris jure non tenetur [13], nisi hoc inter contrahentes convenerit. §. 3. Compensatio debiti ex pari specie, & causa dispari admittitur: velut si pecuniam tibi debeam, & tu mihi pecuniam debeas, aut frumentum, aut cetera hujusmodi, licet ex diverso contractu, compensare, vel deducere debes. Si totum petas [14], plus petendo causa cadis.

TIT. VI.

DE EXERCITORIBUS.

FIliusfamilias si voluntate patris navem exerceat, patrem in solidum [15] ob ea quæ salva receperit, obligat.

1 *l. 34. §. qui jusjurandum, & l. si non fuerit. ff. de jurejur. l. delata. C. de reb. cred. & jurejur.* 2 *l. 6. ff. de jurejur.* 3 Jurare enim scientem oportet, sciente animo suo. *l. 34. §. 1. & §. procurator. ff. de jurejur. l. 4. §. 1. ff. de in lit. jur. l. 11. §. 2. ff. rer. amot.* 4 Quæ ob id ipsum confessoria actio appellari potest. *l. 23. §. ult. l. 25. §. 1. ff. ad leg. Aquil. l. 4. ff. de confess.*

5 *l. 20. ff. de constit. pecun.*

6 *l. 1. §. stipulatio. ff. de verb. oblig.* 7 Vel in diem, & inter præsentes, nec scripturam exigit. *l. 1. C. de usur.*

8 Aut jure penitentiæ, aut contrario judicio. *l. 18. §. 2. ff. commod.* 9 *l. 5. §. 4. ff. commod.* 10 *l. 1. §. in vero. ff. de oblig. & act. l. 5. §. 7. ff. commod.* 11 *l. 17. §. 1. ff. de præscr. verb. l. 1. ff. de æstim.*

12 *l. 73. ff. de furt. l. 4. ff. de pign. act.* 13 *l. 1. §. cum præd. ff. de pignor.* Quod verum est in fructibus ab alio domino, quam debitore perceptis. Nam fructus, & fœtus, quorum dominium ad ipsum debitorem pervenit, procul dubio pignori tenentur. *l. 13. ff. de pign. l. 3. C. in quib. caus. pign. vel hypoth.* Idemque est in partu. *l. 29. §. 1. ff. de pign.* 14 *l. 4. ff. de compens.*

15 *l. 11. §. 19. & §. 23. ff. de exerc. act. l. 3. §. Si filius. ff. navat. caup.*

16 Non omnes hic leges nauticæ Rhodiorum explicantur, sed lex tantum ea, quæ est de jactu.

TIT. VII.

AD LEGEM RHODIAM [16].

§. 1. SI levandæ navis gratia jactus mercium factus est, omnium contributione farciatur, quod pro omnibus datum est [17].

§. 2. Jactu navis levata si perierit, extractis aliorum per urinatores mercibus, ejus quoque rationem haberi placuit, qui merces salva nave [18] jactavit. §. 3. Nave, vel arbore vi tempestatis amissa, vectores ad contributionem non tenentur, nisi ipsis arborem salutis causa eruentibus [19] navis salva sit. §. 4. Levandæ navis gratia merces in scapham transjectas, atque ideo amissas, intributione earum, quæ in navi salvæ sunt, refici convenit. Nave autem perdita, conservatæ cum mercibus scaphæ ratio [20] non habetur. §. 5. Collatio intributionis [21] ob jactum salva nave fieri debet.

TIT. VIII.

DE INSTITORIBUS.

§. 1. SI iout commoda sentimus ex actu præpositi institoris, ita & incommoda sentire debemus. Et ideo qui servum, sive filium filiamve familias, sive ancillam præposuit negotiis, vel mercibus exercendis, eorum nomine in solidum conveniur [22].

§. 2. Si quis pecuniæ fœnerandæ, agro colendo, condendis [23] vendendisque frugibus præpositus est, ex eo nomine, quod cum illo contractum est, in solidum fundi dominus obligatur, nec interest servus, an liber sit. §. 3. Quod cum discipulis eorum, qui officinis, vel tabernis præsunt, contractum est, in magistros, vel institores [24] tabernæ in solidum actio datur.

TIT. IX.

DE IN REM VERSO.

SErvus, vel filiusfamilias, si acceptam pecuniam in rem patris, vel domini verterit hoc modo, agrum, puta, colendo, domum fulciendo, mancipia vestiendo, mercando, vel creditori solvendo, vel quid tale faciendo, de in rem verso in solidum dominum vel patrem obligat [25], si tamen ob hanc causam pecunia data sit.

TIT. X.

DE SC. MACEDONIANO.

QUi filiofam. contra interdictum amplissimi ordinis, pecuniam mutuam crediderit, post mortem patris, ex eo, quod vivo patre creditit, cum eo agete [26] non potest.

TIT. XI.

AD SC. VELLEJANUM.

§. 1. IN omni genere negotiorum, & obligationum, tam pro viris, quam pro fœminis intercedere [27] mulieres prohibentur.

§. 2. Mulier, quæ pro tutoribus filiorum suorum indemnitatem promisit, ad beneficium Senatusconsulti non pertinet [28].

TIT. XII.

DE DEPOSITO.

§. 1. SI facculum, vel argentum [29] signatum depoſuero, & is, penes quem depositum fuit, me invito, contrectaverit: & depositi, & furti actio mihi in eum competit. §. 2. In judicio depositi ex mora fructus veniunt, & usuræ rei depositæ [30] postulantur. §. 3. In causa depositi compensationi locus non est [31], sed res ipsa reddenda est.

17 *l. 4. C. Theod. de naufr. l. 1. ff. ad leg. Rhod. de jactu.* 18 *l. 4. §. sed si navis. ff. de leg. Rhod. de jactu.* 19 *l. 2. §. 1. l. 3. l. 5. ff. de leg. Rhod. de jactu.* 20 *l. 4. ff. de leg. Rhod. de jactu.* 21 Vid. *l. 27. ff. de verb. sign. l. 6. §. ult. ff. de muner. & honor. l. 22. §. ult. ff. ad munic.*

22 *l. 11. §. 2. & seqq. ff. de institor. act.* 23 Pro, *Condendis*, malim legere, *Coemendis*, ut in *l. 5. §. 1. ff. de instit. act.* 24 *l. 1. §. ult. ff. de instit. act.*

25 Per totum *tit. ff. de in rem verso.*

26 Ipso quidem jure est actio, sed opponenda est exceptio SC. ne sequatur condemnatio. *l. 11. ff. ad SC. Macedonianum.*

27 Ita tamen, ut si intercesserint, opus sit exceptione, duobus casibus exceptis. Unus est in *Novell. 134.* alter in *l. 23. §. ult. C. ad SC. Velleian.* 28 Pugnant, cum hac Pauli sententia, *l. 6. ad fin. C. ad SC. Velleian. l. 1. & ult. C. si mat. ind. prom.* nisi fic legamus, *Mulier, quæ tutorious filiorum suorum indemnitatem promisit.* arg. *l. 2. C. si mat. judex. prom. d. l. 6.*

29 *l. 29. ff. depos.* 30 Quia depositi actio bonæ fidei est. *l. 1. §. hanc autem l. 29. l. 25. in fin. ff. depos. l. 2. C. eod.* 31 §. *in bon. fid. instr. de act.* id aut Justinianum obtinuisse hic locus indicat.

TIT. XIII.

DE LEGE COMMISSORIA [1].

§. 1. DEbitor distractus fiduciis a creditore, de superfluo adversus eum habet actionem [2]. §. 2. Quicquid creditor per fiduciarium servum quæsivit, fortem debiti minuit [3].

§. 3. Debitor creditori fiduciam [4] vendere non potest, sed aliis, si velit, vendere potest, ita ut ex pretio ejusdem pecuniam offerat creditori, atque ita remancipatam sibi rem emptori præstet. §. 4. Si per suppositam personam creditor pignus suum invito debitore comparavit, emptio non videtur, & ideo quandoque lui potest [5]. Ex hoc enim causa pignoris, vel fiduciæ finiri non potest. §. 5. Si inter creditorem & debitorem convenerit, ut fiduciam sibi vendere non liceat, non solvente debitore, creditor denunciare ei solemniter [6] potest, & distrahere. Nec enim ex tali conventione fiduciæ actio nasci potest.

§. 6. Si creditor rem fiduciæ datam uni ex heredibus, vel extraneo legaverit, adversus omnes heredes [7] actio fiduciæ competit. §. 7. Si creditor rem fiduciariam fecerit meliorem, ob ea recuperanda, quæ impendit, judicio fiduciæ [8] debitorem habebit obnoxium. §. 8. Novissimus creditor priorem oblata pecunia, quo possessio in eum transferatur, dimittere potest. Sed & prior creditor secundum creditorem, si voluerit, dimittere non prohibetur, quamquam ipse in pignore potior [9] sit. §. 9. Servus si mutuam pecuniam servitutis tempore acceperit, ex ea obligatione post manumissionem conveniri [10] non potest.

TIT. XIV.

DE USURIS.

§. 1. SI pactum nudum de præstandis usuris interpositum sit, nullius est momenti [11]. Ex nudo enim pacto inter cives Romanos actio non nascitur [12]. §. 2. Usuræ supra centesimam solutæ sortem minuunt [13], & consumpta sorte repeti possunt.

§. 3. Trajectitia pecunia, propter periculum creditoris, quamdiu navigat navis, infinitas usuras [14] recipere potest. §. 4. Usuræ, quæ centesimam excedunt, per errorem solutæ repeti [15] possunt.

§. 5. Si quis pignora debitoris citra auctoritatem judicantis abduxerit, violentiæ crimen [16] admittit. §. 6. Tutor in usuras non convenitur, si pecuniam pupillarem ideo non collocavit, quod idonea nomina non habeat, quibus pecunia collocaretur: cujus rei contestatio apud Præsidem [17] provinciæ deponenda est.

TIT. XV.

DE MANDATIS.

§. 1. OB subitam valetudinem, ob necessariam peregrinationem, ob inimicitiam, & inanes rei actiones [18], integra adhuc causa, mandati negotio renunciari potest. §. 2. Si meis nummis mandato tuo aliquid tibi comparavero, & si rem postea accipere nolis, mandati actio mihi adversus te competit. Non enim tantum quod impensum est, sed & usuras [19] ejus consequi possum.

§. 3. Certo pretio rem jussus distrahere, si minoris vendiderit, mandati judicio pretii summam poterit integrare: venditionem dissolvi non placuit [20].

TIT. XVI.

PRO SOCIO.

SIcut lucrum, ita & damnum [21] inter socios communicatur, nisi quid culpa socii, vel fraude eversum sit.

TIT. XVII.

EX EMPTO ET VENDITO.

§. 1. VEnditor, si ejus rei, quam vendidit, dominus non sit, pretio accepto, auctoritate [22] manebit obnoxius. Aliter enim non potest obligari. §. 2. Si res simpliciter traditæ evincantur, tanto venditor emptori condemnandus est, quanto [23] si stipulatione pro evictione caviſſet. §. 3. Res empta mancipatione & traditione perfecta, si evincatur, auctoritatis venditor duplotenus obligatur. §. 4. Distracto fundo, si quis de modo mentiatur, in duplo [24] ejus, quod mentitus est, officio judicis æstimatio. ne facta conveniatur. §. 5. Redhibitio vitiosi mancipii intra sex menses [25] fieri potest, propter latens vitium. §. 6. Si ut servum quis pluris venderet, de artificio ejus, vel peculio mentitus est, actione ex empto conventus quanto minoris [26] valuisset, emptori præstare compellitur, nisi paratus sit eum redhibere [27]. §. 7. Ex die emptionis, si pars pretii numerata sit, & fructus, & operæ servorum, & fœtus pecorum, & ancillarum partus ad emptorem [28] pertinet.

§. 8. Fundum alienum mihi vendidisti, postea idem ex causa lucrativa meus factus est, competet mihi adversus te ad pretium recuperandum [29] actio ex empto. §. 9. Post rem traditam, nisi emptor pretium statim exolvat, usuras [30] ejus præstare cogendus est.

§. 10. Mutus emere & vendere potest, furiosus autem neque emere [31], neque vendere potest. §. 11. Servus bona fide [32] comparatus, si ex veteri vitio [33] fugerit, non tantum pretium dominus, sed & ea, quæ per fugam abstulit, raddere cogetur. §. 12. Cum probatio prioris fugæ deficit [34], servi responsioni credendum est [35]. In se enim interrogari non pro domino, aut in dominum videtur [36]. §. 13. In eo contractu, qui ex bona fide descendit, instrumentorum oblatio sine causa desideratur [37], si quo modo veritas de fide contractus possit oſtendi. §. 14. Fundus ejus esse videtur, cujus nomine comparatus est, non a quo pecunia numerata est [38]: si tamen fundus comparatori sit traditus. §. 15. Electo reo principali, fidejussor, vel heres ejus liberatur. Non idem in mandatoribus [39] observatur.

TIT. XVIII.

DE LOCATO ET CONDUCTO.

§. 1. HOmo liber, qui statum suum in potestate habet, & pejorare eum, & meliorem facere potest, atque ideo operas suas diurnas nocturnasque locat [40]. §. 2. Fundi deterioris facti, & cultura non exercitati, & ædificiorum non refectorum culpa, arbitrio judicis [41] domino a conductore sarciri potest.

TIT. XIX.

DE NUPTIIS.

§. 1. SPonsalia tam inter puberes, quam inter impuberes [42] contrahi possunt. §. 2. Eorum, qui in potestate patris sunt, sine voluntate ejus [43] matrimonia jure non contrahuntur: sed contracta non solvuntur [44]: Contemplatio enim publicæ utilitatis [45] privatorum commodis præfertur. §. 3. Inter servos & liberos matrimonium contrahi non potest, contubernium [46] potest.

§. 4. Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed contractum matrimonium furore non tollitur [47].

§. 5. Vir absens uxorem ducere potest, fœmina absens [48] nubere non potest. §. 6. Libertum, qui nuptias patronæ, vel uxoris, filiæve patroni affectaverit, pro dignitate personæ [49] metalli pœna, vel operis publici coërceri placuit.

TIT. XX.

DE CONCUBINIS.

EO tempore, quo quis uxorem habet, concubinam habere non potest [50]. Concubina igitur ab uxore solo delicto [51] separatur.

TIT. XXI.

DE DOTIBUS.

§. 1. DOs [52] aut antecedit, aut sequitur matrimonium: & ideo vel ante nuptias, vel post nuptias dari potest. Sed ante nuptias data earum expectat adventum. §. 2. Lege Julia de adulteriis [53] cavetur, ne dotale prædium maritus invita uxore alienet.

TIT. XXII.

DE PACTIS INTER VIRUM ET UXOREM.

§. 1. FRuctus fundi dotalis constante matrimonio percepti, lucre mariti cedunt, etiam pro rata anni [54] ejus, quo factum est divortium. §. 2. Omnibus pactis stipulatio subjici [55] debet, ut ex stipulatu actio nasci possit.

TIT. XXIII.

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM ET UXOREM.

§. 1. MOrtis causa donatio est, quæ impendente metu mortis [56] fit, ut valetudinis, peregrinationis, navigationis, vel belli. §. 2. Manumissionis gratia [57] inter virum & uxorem donatio favore libertatis recepta est, vel certe quod nemo ex hoc fiat locupletior: ideoque servum manumittendi causa invicem sibi donare non prohibentur. §. 3. Inter virum & uxorem nec per interpositam personam [58] donatio fieri potest. §. 4. Inter virum & uxorem contemplatione donationis imaginaria venditio [59] contrahi non potest. §. 5. Si inter virum & uxorem donatio facta fuerit, priore defuncto, cui donatum est, ad eum res redit [60], qui donaverat. §. 6. Quocunque tempore contemplatione mortis inter virum & uxorem donatio facta est, morte secuta convalescit [61].

TIT. XXIV.

DE LIBERIS AGNOSCENDIS.

§. 1. SI serva conceperit, & postea manumissa [62] pepererit, liberum parit. §. 2. Si libera conceperit, & ancilla facta pepererit, liberum parit. Id enim favor libertatis exposcit.

§. 3. Si ancilla conceperit, & medio tempore manumissa sit, rursus

1 De fiducia, qua pignus creditori mancipatur, aut creditur, ea lege, ut soluta ad diem pecunia remancipetur, non lolura, creditori pleno jure committatur, nihil in Pandectis relatum est a Justiniano, quoniam sublatæ erant fiduciæ constitutione Constantini. *l. ultim. C. de pact. pign.* 2 Ut si minoris pignus vendiderit, reliqui petitio creditori superesset. *l. 3. ff. de reb. cred.* Ita si pluris vendiderit, superflui petitio debitori datur. *l. 24. §. 2. ff. de pign. act.* 3 *l. 1. C. de pign. act.* 4 Pignus creditor vendere potest. *l. 12. ff. de distr. pign.* fiduciam non potest. *l. 10. C. de distr. pign.* Ex diverso, non videtur debitor pignus distrahisse permissu creditoris, si id polliceat. *l. 8. §. 7. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. sol.* 6 Denunciatione trina. *l. 4. ff. de pign. act.* *l. 10. C. de pign. actione.* 8 Duplex est actio fiduciæ, directa, & contraria. Idem in pignoratitia. *l. 8. l. 25. ff. de pign. act. l. 7. C. eod.* 9 *l. 1. l. 5. C. qui pot. in pignor. hab.* 10 *l. 4. ff. de obl. & act. l. 2. C. an ex fisco. ex suo facto post man. ten.* 11 *l. 3. C. de usuris. l. 24. ff. de præscr. verb.* 12 *l. 27. C. de locat.* 13 Si fortem expleverint, repetentur quasi indebitæ. *l. 26. §. 1. ff. de cond. indeb.* 14 Hodie eſt centesima. *l. 4. ff. de naut. fen.* sed id Tribonianum ex Justiniani constitutione additum puto. 15 *l. 26. ff. de cond. ind.* 16 *l. ultim. ff. ad leg. Jul. de vi priv. l. 5. C. eod.* 17 *l. 7. §. ultim. & l. 13. §. 1. l. 15. ff. de admin. & peric. tut. l. 3. C. de usur. pup.* 18 *l. 24. ff. mand. §. 11. Inst. de mand.* 19 *l. 12. §. 9. ff. mand.* 20 *l. 5. §. 1. & §. 4. ff. mand.*

21 *l. 52. §. 4. ff. pro soc.*

22 *l. 13. §. 8. ff. de act. empt.* 23 *l. 11. §. Cassius. 14. ff. de act. empt. l. 31. §. 20. ff. de ædil. edict.* 24 In libris Justiniani non inveniur scripturn, nisi simpliciter ex empto actionem esse. *l. 2. ff. de act. empt.* 25 *l. 19. §. ultim. l. 55. ff. de ædil. edict.* 26 *l. 13. §. 8. ff. de act. empt.* 27 *l. 43. §. 6. ff. de ædil. edict.* 28 *l. 13. l. pen. C. de act. empt. l. 13. §. 10. & §. 18. ff. eod.* Sed Paul. hic exigit, ut saltem pretii pars numerata sit: & tunc puto non nisi pro ea parte fructus ad emptorem pertinere, argum. *l. ultim. §. ultim. ff. de fund. dot.* 29 Sed neque committitur stipulatio duplæ. *l. 13. §. 15. ff. de act. empt. l. 41. §. 1. ff. de evict.* 30 *l. 13. §. 19. ff. de act. empt. l. 5. l. 13. C. eod.* 31 *l. 1. ff. locat. l. 1. §. ultim. ff. de contrab. empt.* 32 Idem Paulus respondit servum, veluti pro noxa, retineri. *l. 58. in prine. & §. 1. ff. de ædil. edict.* 33 Exercenti venditor non tenetur. *l. 58. ff. de ædil. edict. l. 3. C. eod.*

34 Emptor probare debet servum ex veteri vitio fugisse. *l. 4. ff. de prob.* 35 *l. 58. §. ultim. ff. de ædil. edict. l. 7. ff. de probat.* 36 *l. 6. C. de quæst.* 37 *l. 10. C. de fid. instrum.* nisi ita convenerit. *l. 2. in fin. ff. de contrab. empt.* 38 *l. 1. C. si unus alteri, vel sibi sub alt. nom.*

39 Hodie neuter liberatur. Nam hæc inter fidejussorem & mandatorem differentia a Justiniano sublata est *l. ultim. C. de fidejuss. Novell. 4.*

40 *l. 3. ff. de ædific. leg.* Porcst & filii operas pater locare, ut *l. 3. §. 1. ff. de stat. hom.*

41 *l. 25. §. 3. ff. locat.* 42 *l. 14. ff. de sponsal.* 43 §. 1. *Inst. de nupt.* 44 Quod *libro 3. Observ. cap. 5.* ut accipiendum sit, oftendimus. *Cujac.* 45 Id eſt, nuptiarum, ut in *l. in bello. 9. mutuo. ff. de capt. & postlim.* 46 *l. 3. C. de incest. nupt.* 47 *l. 15. §. ult. ff. de ritu nupt.* 48 Domus viri, eſt domicilium matrimonii. *l. 5. ff. de ritu nupt. l. 6. C. de donat. ante nupt. l. 4. §. 1. ff. de usu & hab.* 49 *l. 3. C. de nupt. l. 66. ff. de ritu nupt.*

50 *l. 1. C. de concubin. l. ultim. in fin. ff. de divort.* 51 Puto legendum, *solo delicto*, ut sit idem, quod sola destinatione animi, in *l. penult. ff. de concub.*

52 Sub hoc titulo Paulum etiam tradisse de retentionibus, quæ ex dote fiunt Asianus scribit in *l. 2. C. Th. de dotibus.*

53 Cur hæc de adulteriis inscribatur, expositimus in Notis ad §. 2. *Instrut. tit. quibus alien. lic. vel non.*

54 *l. 78. §. divortio. ff. de jur. dot. l. 7. §. Papinianus. l. 11. l. 31. §. ult. ff. sol. matr. l. 1. §. sed & naviffimi. C. de rei uxor. actione.* 55 Cujus rei exempla in Pandectis sunt infinita.

56 §. 1. *Inst. de donat.* 57 *l. 7. §. ultim. ff. de donat. inter virum & uxorem.*

58 *l. 3. §. non tantum autem. ff. de don. int. virum & uxor.* 59 Cum sit facta in fraudem juris. *l. 1. §. 6. ff. de donat. inter vir. & uxorem.* 60 *l. 8. ff. de rebr. dubiis.* Non enim mors donatarii, sed mors donatoris hanc donationem confirmat. *l. 32. §. 14. ff. de donat. inter vir. & uxorem.* Excipienda eſt species *l. 5. §. 11. ff. eod.* 61 *l. 11. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 20. ff. de donat. mort. caus.*

62 *l. 5. §. 2. ff. de stat. hom.*